

Ex his eram convictus : *Stramonii extractum posse dari tuto, diu, & bono cum effectu.*

## EXPERIMENTUM II.

**F**OEMINA , 40. aliquot annorum , vertigine jam a binis annis labravit , nec ulla ope potuit inde levari .

Mens sensim turbata est , & vertigini se junxit dementia .

Ferebatur tunc ad nostrum Noso-comium .

Applicata remedia prorsus nullum levamen adferebant .

Imo cœpit hæc ægra insanire fortiter , furere , & noctu surrexit e lecto , clamando turbavit , terruitque alias ægras , & quasdam voluit vi e lecto emovere .

Hoc

Hoc in statu dedi mane & vesperi  
granum dimidium extracti Stramonii.

Primo statim die pacatior,  
noctu autem æque furiosa fuit ac antea.

Tertio die dedi mane unum granum  
hujus extracti & unum vesperi.

Omnia Symptomata inde mitiora  
reddebantur.

Aegra noctu quidem clamavit, ve-  
rum e lecto non surrexit, & brevi ite-  
rum obdormivit.

Quarto die jam ad rogata cœpit ap-  
tius respondere, mox tamen iterum  
in pristinas ideas incidit.

Dies, noctesque tunc erant satis  
tranquillæ, pacatæ.

Octavo die dedi ter quotidie gra-  
num unum extracti Stramonii.

Hac

Hac dosi in quartam septimanam  
continuatum est. Hoc tempore compo-  
nebatur omnis furor, evanuit insanies,  
rediit mens, loquela, judicium, &  
ægra tota nocte æque bene dormivit,  
ac aliæ ejus sociæ.

Aptissime ad omnia respondit, be-  
ne commedit, imo erat vorax, vires  
habuit bonas, deambulavit in cubicu-  
lo, & extra cubiculum in libero aëre.

Attamen vertigo eam frequenter &  
subito, ut ante usum hujus remedii  
fieri solebat, turbavit, & subinde adeo  
vehementer, ut aliquoties quasi apo-  
plectica ceciderit, interim mente sibi  
erat semper præsens.

Mihi sufficiebat: quod extractum  
Stramonii insaniam curaverit, & quum  
viderem, quod vertigo inde non emen-

dare-

daretur, abstinui ab hoc medicamento.

Varia iterum tentavi, quæ vertiginem tollerent, efficere autem nil potui.

Per quinque menses hæc misera in nosocomio adhuc vixit, omnes mentis functiones erant bonæ, vertigo autem sensim fiebat fortior, frequentior.

Et dum ægra erecto corporis truncō & capite in lecto sedet, libera fuit, dum vero capite paulo profundius jacuit, vel dum corpus movit, accessit illico caligo, vertigo, anxietas.

Vires sensim diminutæ sunt, demum supervenit vera apoplexia, & subita mors.

Sectione Anatomica invenimus omnem venas cerebri varicosas; sinus falciformis ex anteriore parte erat ad longitudinem unius & dimidii pollicis  
of-

osseus, anteriores bini ventriculi cerebri erant præternaturaliter distenti, repletique multis hydatidibus diversæ magnitudinis & formæ.

In reliquo corpore viscera omnia sanissima reperta sunt.

Ex his post mortem inventis patet: vertiginem in hac ægra fuisse malum immedicabile.

Quis enim Medicus, etiamsi hujus morbi cognovisset veram causam, potuisset hydatides tollere, aut sinum osseum ad mollitiem naturalem reducere?

Sufficit, quod usu Stramonii fuerit furor compositus & insanies curata; quodque nullum malum symptoma inde sit ortum.

EX-